

206 1734, 1b + 2
DISPUTATIO MEDICO-CHIRURGICA
INAUGURALIS

DE
TENDINUM
ADFFECTIBUS,
QUAM
AUXILIANTE DEO,
GRATIOSO FACULTATIS MEDICAE
CONSENSU,
SUB
PRAESIDIO
DN. ANDREAE OTTOMARI
GOELICKE,

MED. DOCT. AC PROF. PUBL. NEC NON PHYSIC.
TRACT. LEBUS. ORD. FAC. MED. H. T. DECAN.

FAUTORIS AC PROMOTORIS SUI MULTUM COLENDI,
IN AUDITORIO MAIORI
AD DIEM VIII. OCTOBR. ANN. MDCCXXXIV.
HORIS LOCOQUE CONVENTIS

PRO
GRADU DOCTORALI
RELIQUISQUE EI ADNEXIS HONORIBUS,
IURIBUS ATQUE PRIVILEGIIS LEGITIME
OBTINENDIS
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI
SUBJICIET

JOANNES CHRISTOPHORUS MÜLLERUS,
MARGLISSA-LUSATUS

FRANCOF. ad VIADRUM,
Typis SIGISMUND GABRIEL ALEX.

W Koch.

DISPUTATIO MEDICO-CHIRURGICA
IN VENDELBURG

TEINDIUM
AFFECTIBVS.
GRADUATIUS ET
GRADUOS FACULTATIS MEDICAE
**KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE**

GRADU. DECTOR. ALI
REITZSCHKE ET ANDREAS HONORIUS.
JANUS ALCIATIUS FRANCISCUS PELLITUS
POLYK. KLEINERSON ET ALII
JOANNES CHISTOPHORUS MULIERUS.
WILHELMUS TACITUS
TYP. GREGORIUS EVEREIT ALIUS.

*PRAENOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO,
CONSULTISSIMO ATQUE DOCTISSIMO*
DOMINO
DN. CHRISTOPHORO
LEONHARDO
FOERSTERO,
I. U. D.
SUAE REGIAE MAIESTATIS PRUSSICAE
CONSILIARIO AULICO
ET
REIPUBLICAE FRANCOFORTANAЕ
AD VIADRUM
PRAETORI LONGE MERITISSIMO

FAUTORI ATQUE AVUNCULO SUO
OMNI HONORIS CULTU AD CINE-
RES USQUE PROSEQUENDO

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM
INTANTORVM BENEFICIORUM MEMO-
RIAM SACRAM ESSE CVPIT,

IOANNES CHRISTOPHORUS MÜLLERUS,
MARGLISSA-LVSATUS.

REIPUBLICÆ ET MOCOTANAE
AD MVRINUM
PRAEFLORIONE MERITISSIMO



PRAEFATIO.



Uemadmodum omnes scientiae medicae partes tam arcto & quasi indissolubili nexu inter se mutuo iunctae & unitae sunt, vt altera altera commode carere nequeat imo potius se se mutuo illustrent ac subinde suppetias ferant: Ita, si in vna illarum, quae reliquis fundamenti loco substerni debebat, notabilis committatur error, impediri vix potest, quo minus per reliquas omnes latissime sese diffundat. Exemplum eius rei est in promptu; Notum est, Anatomicos veteres vocabulis *nervorum*, *tendinum* atque *ligamentorum* promiscue & indifferenter vsos esse, vt propemodum crederes, unam eandemque omnium

A

omnium harum partium structuram esse, quae
 tamen, ut satis hodieque constat, diuersissima
 est. Interim error hic *Anatomicus* peperit
 alium *physiologicum*, quo diversa harum par-
 tium officia ita inter se inuicem confuderunt,
 ut, quod *tendinibus* vindicare debebant, *nervis*
 & vice versa adscripserint; Imo idem hic er-
 ror latius fese diffudit inque ipsam *patholo-*
giam ac *therapiam* proserpsit: Unde factum
 tandem est, vt vitia & laesiones *tendinum* tri-
 buerint *nervis*, & vice versa. Praxis clinica
 subinde, licet non aequre frequenter, exempla
 talia subministrat, in quibus usque adeo mira-
 biles occurrunt motus eorundemque varia-
 tiones, ut, an *tendinibus* an *nervis* tribuas, iure
 meritoque ambigas. „ Sic puer nobilis nouem
 „ annorum, temperamenti phlegmatici, ex
 „ improviso doloribus dorsi ossisque sacri tam
 „ atrocibus corripitur, ut ingentes edere co-
 „ gatur eiulatus; Ocurrunt illi singulis die-
 „ bus per paroxysmos, interdum ter, inter-
 „ dum sexies, interdum vero singulis dimidiis
 „ horis, cum horrendis convulsionibus, vt
 „ manus pedesque modo violenter contrahan-
 „ tur, modo extendantur, modo totum corpus
 „ instar globi convolvatur, ut caput genubus
 „ accedat, modo in pedes erigatur, nullo licet
 „ manu-

„ manuum vel alterius adminiculo suffultus,
 „ cum frequenti oscitatione, cardialgia ve-
 „ hementissima conatique vomendi & saliuae
 „ limpidissimae effluxu ex ore; Oculi interea
 „ torvum vident, quandoque obfuscantur, ne-
 „ bulis quasi suffusi, interdum vero intra or-
 „ bitas suas miris modis contorquentur. In
 „ paroxysmo *risus* obseruatur *sardonius*,
 „ quandoque lecto subito exilit aeger, cantillat
 „ & rusticorum more saltat; caeteroquin tan-
 „ to pollet robore, ut duo robusti homines ei
 „ continendo vix sint pares. Extra paroxys-
 „ mum vero animus est tranquillus, hilaris,
 „ siveque compos; Et quod mirandum, edit,
 „ bibitque patiens fani instar; Aluus est libe-
 „ ra, excrementa tamen intolerabilem spirant
 „ foetorem, urina est turbida, pectus vehe-
 „ menter commouetur, cor palpitat, respira-
 „ tio est anhelosa, pulsus fortis. Postquam haec
 „ symptomata aliquot septimanas continuas
 „ exercuerunt aegrotantem, a violentia sua re-
 „ miserunt, deinde penitus quidem cesarunt,
 „ status tamen semiparalyticus remansit, donec
 „ in integrum tandem patiens fuit restitutus.
 Medicus, curam eius gerens, hisce omnibus
 rite perpensis, statim subodorabatur, lumbri-
 cos esse, qui dramata haec luderent; Quare

A 2

anhel-

anthelmintica, & inter ea mercurium dulcem per interualla ipsi propinabat: Quae etiam desideratissimam praestiterunt opem, ut primum quatuor oblongi seu teretes prodierint lumbri- ci, deinde vero prodigiosa in copia exigui vermiculi, quales alias in intestino recto acarorum forma hospitari solent, excreti fuerint: Quemadmodum igitur vermes totius huius scenae autores extiterunt: Ita illis, domicilio suo pulsis, ad pristinum pacatum atque tranquillum statum rediere omnia. Stupendi vero motus eorundemque variationes, quas paroxysmi tempore, quem paulo post inuasum esse, sine errore praedicebat, conspicie- dos praebuit, non sane *nervis*, sed *tendinibus* tribuendi sunt. Aequa mirabilis, si non multis modis mirabilior memoratur effectus saltatorius, in *commercii litterarii Norimbergensis* hebdomade quadragesima tertia Ann. 1733 p. 339. quos tamen stupendi huius morbi effectus obseruationis Autor rectius *tendinibus* quam *nervis* tribuere potuisset, imo vero debuisset. Ut recte BOTALLUM notauerit IOANNES van HORNE eique iure imputaverit, quod *tendines* cum *nervis* & hos cum illis confudet; Cum, qui sub vena communis in flexura cubiti iacet, non sit *nervus* recentioribus sic dicitus,

Etus, sed *tendo* musculi bicipitis. Proinde merito quispiam miretur, qui euenire potuerit, BOTALLVM instruxisse Chirurgum, veniae sectionem adornaturum, qua ratione *nervum a tendine* subiecto dignoscere debeat, nec tamen ipsum erroris ansam deuitasse. Tolerari id quadantenus posset, si error hic sola intra pomoeria *anatomes* coërceri se se patetur: At vero cum per ipsam quoque *pathologiam* imo *praxin* fese diffundat: Tempestivum est, eidem omnibus se se viribus opponere, & suum cuique tribuere. Interea dignum mihi visum est hoc argumentum, quod prolixius simul atque distinetius explicaretur; Inprimis cum pro gradu atque dignitate Doctoris medici rite ac legitime obtainenda, specimen quoddam inaugurale edendum mibi sit. Atque adeo praecipuos *tendinum affectus*, forum tamen chirurgicum tantum concernentes, hac vice exponere decreui: Praecipuas, inquam: Omnes enim exponi nec pagellarum harum angustia, nec disputationibus talibus inauguralibus praescripti limites permittunt. Cui interim proposito ut DEV S O. M. vitae atque sanitatis dator atque conservator benignissimus, ex alto faveat, est, quod humili mis contendo precibus.

A 3

§. I.

Acturis nobis de tendinum affectibus, qui non unam ob causam obtингere hominibus solent, ea minime incumbit necessitas, ut, quae *Anatomici* de eorundem structura, *physiologi* vero de eorum officio & usu, quem oeconomiae animali praestant, prolixe repetamus. Praeoccupavit laborem hunc quadammodo quidam meorum commilitonum, in disputatione sua inaugurali de *tendinis structura & usu*, quam pro impletandis honoribus doctoralibus paucos ante menses in inclita hac *Viadrina* ventilandam philiatris publice proposuit. Ex qua proinde huc transferre nobis licet, quicquid proposito nostro, quod *practicum* magis quam *theoreticum*, *chirurgicum* magis quam *medico-clinicum* est, favere & inservire videbitur: Quanquam, si fatendum, quod res est, utrumque tam arcto vinculo sibi mutuo iunctum & unitum sit, ut alterum sine altero vix digne tractari queat.

§. II.

Descriptio itaque, vel, si mavis definitio tendinis dicta in disputatione talis traditur: *Esse* nempe congeriem sive fasciculum fibrarum, ad *sensum* albicantium, musculosis continuarum, admodum sensilium, solidarum, nec non virtute elastica praeditarum, motuque membrorum voluntario excitando inservientium. Diximus notanter: Fibras hasce tendineas ad *sensum* albicantes esse: unde tamen inferre nemini licet, quasi tendines vasis sanguineis penitus destituantur, quorum quippe existentiam

tiam non modo a priori, cum aequae ac aliae partes
 C.H. nutriti debeat, colligere quivis facile potest,
 sed & injectionibus *Ruyshianis* ad oculum patent,
 cuius quippe famosissimi Anatomici dexteritate
 dicto injectionis artificio subtilissima vasa sanguine
 a, in primis arteriosa ob repletionem summa ru
 bedine conspicua suntur. Qui experimento nunc
 etiam adiicere integrum mihi sit, quod aucto adno
 tationium ad historiam de magni tendinis, suturam
 inter & calcem transuersum dilecti, vnitione atque
 curatione, cuius inferius mentionem faciemus,
 similem vasorum sanguineorum distributionem in
 tendine tibiae equinae conspexerit. Quae obserua
 tio omnes illos, qui tendines aequae ac ossa aliasque
 partes ad sensum exangues conglutinari posse, stre
 nue hue usque negarunt, plenisime conuincere
 potest, modo, quod ille prudenter addit, partes
 vicinae illae & duo tendini extrema solerter sibi inuicem sine
 ulla vel saltu notabili vasorum sanguineorum compresione
 adducta sint. Admodum quoque sensiles esse tendines,
 provide adieciimus. Quia, quibus tendo punctus
 vel alia ratione laesus est, exquisitissimos, statim
 ac tendo compunctus est, pati solent dolores. Quibus
 omnibus non sine ratione addidimus: *Virtute*
elastica instructum esse tendinem, quam quippe inde
 colligi haud difficulter licet, quod utrumque eius
 extremitum, facta per transversum sectione, resiliat
 & fortissime quasi retrahatur. Imo & illud adi
 cere consultum duximus: *Motus voluntarii organon*
esse: Quia punctum vel caesum vulnerato tendine, vel
 fortiter saltum compresso eodem, motus iste vel
 omnino cessat vel saltum tamdiu suspenditur, do
 nec

encubato impedimento, in integrum restituatur. Denique & illud animadversione haud indignum iudicauimus, quod *tendo a nervo*, & *bis ab illo* aderat sit distinguendus, id quod, si praesenti nostro negotio adplicari debeat, eximum hunc praestabit usum, ut *omnis affectuum tendines & nervos* occupantium, confusio sollicite evitetur; sicuti optandum foret, prisci aevi anatomicos *tendines a nervis*, & *hos ab illis* provide distinxisse; Id quod tamen legitime ab illis factum non esse, alibi suimus conquesti.

§. III.

Hisce interim, ceu fundamentis breuiter presuppositis, tendinum affectus, ad chirurgicum praeципue forum spectantes, reducimus vel ad eorumdem *puncturam*, vel ad *incisionem* sive *vulnerationem* per transversum, vel ad *disruptionem* vel *abruptionem*, vel *distorsionem*, vel *contusionem*, vel quae alias tendinum laesiones quandoque subsequitur, *indurationem* *scirrhosam*, vel, quod in praxi subinde obseruari solet, duobus eorum vitiis invicem concurrentibus, ut in *incisione* cum *contusione* coniuncta contingit.

§. IV.

Per *puncturam*, quam Galli *une piqueure* vocant, eam continui solutionis speciem intelligimus, qua tendo instrumento quodam pungente, v. g. phlebotomo, cuspide gladii vel cultelli etc. ita laeditur, ut compunctione ista sit vel *aperta & hians*, sensibus se se manifestans, vel *coeca & quasi occlusa*; iisdem plus minus sese subducens; Unde, sicuti illa cognitu faci-

facilior est minusque parit periculi: Ita haec maiori ut plurimum periculo est stipata, longeque difficilius investigatur, nisi forte symptomata coniuncta eam prodant. In *incisione* solutio continui per transversum facta & instrumento scindente, cultro vel gladio inducta est, qua facta tendo difficitus potenter admodum ob vim, qua gaudet, elasticam refilit, alterutrum eius extremorum intra partes musculoſo-carnosas se abscondit, alterum vero versus os, cui implantatur, sese recipit. *Disruptio* tendinis est, quando is magna violentia, cui ferendae ac sustinendae impar est, extensus, tandem per medium crepat, ac differt ab *abruptione*, quae quidem pariter cauſae cuidam violentiae ortum suum debet, interea tamen alterum eius extreum ab ea tantum parte, cui tendo talis est adnexus, abrumpitur, cuius exemplum in tendine *Achillis*, vna cum parte osis calcis iectu sclopeti violenter abrupto inferius sistemus. In *diftorsione* tendo locum suum quodammodo mutat, & in *contusione*, quae a *sugillatione* non aliter, quam *effectus a causa* discrepat, tendines vna cum partibus vicinis conquassationem sui patiuntur, effunditur sanguis sicque sua stagnatione vel stasi sub cute, maculas lividas, subinde flavescentes vel ex viridi coeruleas gignit. Quandoque, rarius tamen tendines, exſiccantibus nimis tractati *indurationem* ſcirrhosam induunt.

§. V.

Sicuti vero pleraequa harum laesionum, tendi-
nibus illatarum causas violentas, *pungendo*, *dissecando*
contundendo, *disfrumpendo* & ab aliis partibus *abrumpendo*

B

effe-

effectum suum producentes, noscunt: Ita *punctura tendinis* infelici *venae sectionis* administrationi ut plurimum natales suos debet, & communiter luctuosissimis symptomatis stipata esse solet. Exemplum tale recenset *GWILIELMVS FABRICIVS HILDANVS* obs. chirurg. Cent. IV. obs. LXX. de iuvene nobili 24. annorum, qui, statim ac media na dextra phlebotomo pertusa fuisse, ingentibus doloribus cum enormi brachii intumescencia corruptus est. Ac licet postea hic tumor post adhibita maturantia ruptus, & prodigiosa foetidissimi puris vna cum sanguine ac sero permixti quantitas effluxisset, omni tamen studio adhibito impediri non potuit, quo minus brachium gangraena tandemque sphacelo corriperetur, qui tamen, quo minus pro more suo sphacelam suam extenderet, totumque corpus cum certissima aegri pernicie inuaderet: Consultum iudicarunt medici, brachium inter cubitum & humerum amputare, quo medio iuvenis iste in vivis est conservatus. Re vero penitus expensa, deprehensum est, tendinem musculi bicipitis phlebotomo compunctum fuisse. Idem observatione sequente eiusdem centuriae aliud infaustae sectionis cephalicae exemplum allegavit de viro quodam quinquagenario, qui tamen, gangraena licet imminentia, curatus & servatus est. Memorabilem porro eiusdem puncturæ historiam *AMBROSIVS PARAEVS* de Rege Gallicorum, Carolo IX. producit in medium, quam etiam *DIONIS* in cursu suo chirurgico p. m. 473. & 74. operation. chirurg. demonstrat. VIII. cap. de *Venae sectione* his propemodum circumstantiis refert:

fert: Regem, sectione venae vix facta, alta voce exclamasse; Ingentem se dolorem percipere, ut brachium integris tribus mensibus neque extenderre neque contrahere valuerit, donec tandem dolor res sedati & motus brachii reuocatus sit.

§. VI.

Siquis exemplis §. praeced. adlatis nondum sit contentus, aliud sua ex praxi communicauit mihi D. D. Praeses. Femina 30. circiter annorum, quae ab aliquot retro mensibus catameniorum suppressione laboraverat, ad eorum revocationem promovendam venam pedis fibi secari, petit a chirurgo, qui vero operationis huius non satis gnarus, bis terue venam frustra tundit sicque re infecta discedit. Postero die famulus eius nasutulus, ad eam accedens, magistri sui imperitiam non false modo traducit ridetque, sed & melius suo se officio perfundeturum laute pollicetur. Illa autem novo pollicitatori fidem credula adhibens pedem denuo offert, qui vero venam non modo infeliciter pertundit, sed & tendinem subiectum punctim incidit, ut non tantum sanguis, qui per exterius vulnusculum venae inflictum exire debuisset, per interius potius orificium egredetur, & undique per partes vicinas diffunderetur, sed & exquisitissimos statim dolores ipsa perciperet. Sanguini hoc modo stasi detento, cum omnis exitus esset praeclusus, in corruptionem abiit, abscessumque formavit, qui quatuor distinctis locis ruptus, exitum quæsiuit quidem & quadantenus invenit, absque ulla tamen dolorum mitigatione, imo potius cum motuum

convulsivorum admodum vehementium invasione, quorum summa violentia cum suspecta tandem videretur & aegrae & amicis, ipsum, ut patientem inviseret, peramanter invitarunt rogitaruntque. Ille petitis eorum libenter adnuens, ob convulsionum aliorumque symptomatum vehementiam suspicatur *puncturam tendinis*, atque adeo suadet, ut singula apostematis orificia cultello aperiantur sique non modo materiae purulenta facilior exitus procuretur, sed &, vulnere sufficienter aperto, *tendo punctus* in apricum deduci & per transversum diffecari posset; cum spe haud vana lactaretur, fore, ut, tendine praeciso, non solummodo dolores a sua vehementia remissuri, sed & convulsiones omnino cesstaurae essent. Cum vero hoc eius consilium sperneret, imo clanculum calumniaretur chirurgus, factum tandem est, vt symptomatibus, nova indies augmenta capientibus viribusque fatigentibus, tatis cedere coacta fuerit. Visitato post mortem vulnusculo, id, quod suspicabatur, ipsis oculis conspicendum se se praebuit, tendo nempe phlebotomo punctus fuit deprehensus, sique veram mortis causam tendinis puncturam fuisse, medicus aequae ac chirurgus fuere oculati testes.

§. VII.

Itaque venae sectio, sive in brachio sive in pede instituatur, *puncturae tendinum* subinde exposita est, quantacunque etiam dexteritate & providentia administretur ab operatore; Quanto magis igitur ad hosce scopulos allident minus circumspecti & anatomes imperiti? Par tamen utrobique periculum

culum est: Sive enim in brachio *mediana* sive *basilica*, quam tamen propter insignem suam, qua gaudet, amplitudinem, eligere solent, prae *cephalica* vel *cubitali* secerur, par ubique circumspetio, par dexteritas requiritur. *Mediana* enim tendini bicipitis superincubit: *Basilicae* vero sectio metum incutit, ne arteria simul, cui proxime accumbit, tangatur. In pede vero, si circumstantiae quaedam venaesectionem expostulent, provide semper vitandae sunt venae, per dorsum pedis decurrentes; Quia laesio*nis tendonis* haud iniustus est metus. Securius semper est, sphaenam supra vel infra malleolum eligere, &, quotienscumque operatori ipsi adstat medicus, semper provide monere eundem, &, ne lanceola nimis profunde adigatur, autor esse debet, ne periotium, exquisitissimi quoque sensus capax, ullo modo laedatur.

§. VIII:

Praeter venaesectionem in brachio vel pede infelicitate administratam permultas alias Practici cauſas, puncturam tendinibus inferentes memorarunt. Sic ex spina pedi infixā dolorem, febrim, inflammationem &c. observavit HILDANVS Cent. I. obs. 34. A morsu animalium iratorum vel rabidorum, qualia sunt feles, canes, lupi &c. gravissima incurunt symptomata, & in rabiem haud raro aguntur homines ipsi, a talibus animalibus commorsi. Imo ab homine iracundo vel furioso laesio tendini illata funestos ut plurimum effectus habet pedissequos, praecordiorum ingentes anxietates, faciei pallorem, labiorum tumorem, liuorem tremoremque, extromorum frigus, sudorem frigidum, pulsū debilem,

B 3 deliria

deliria & alia talia. Exemplum habuimus in militi
te praefidario, qui a muliere in iram ac furorem con-
citata in pollice manus sinistrae mortu*s* laesus in
horrendas convulsiones incidit, ex quarum etiam
violentia post aliquot dies mortuus est. Sectione
post mortem instituta, tendo pollicis extenor undi-
quaque a partibus vicinis liber, illae*s* tamen, &
magna humorum serosorum colluvie circumda-
tus est deprehensus. Ex vespae compun-
ctione gangraenam secutam esse adnotavit
HILDANVS. Et hisce adhuc diebus foemina ho-
nesta curae nostrae sese commisit, quae ex vespae
punctione in ingentem inflammationem genae,
cum enormi ejusdem intumescentia & striis rubi-
cundis ad collum sese extendentibus incidit, alexi-
pharmacorum vero blandiorum usu ab imminentे
periculo liberata est. Sic etiam fragmenta ossium
fractorum, frustulum fracti vitri, manui vel pedi
infixum tendines compungere, sique inflam-
mationem, febrim aliaque symptomata gravissima ex-
citare solet, qualia exempla ab **HILDANO** in suis
Observationibus referuntur. Tarantularum iectus
quam mirabilia excitet phaenomena, neminem latet.
HOFFMANNVS, Med. Rational. Systemat. Tom.
III. p. 94. §. XII. refert de juv*e*ne, medicinae cul-
turae addicto, quod subito febri, cum siti, vigilia,
summa anxietate levique delirio correptus fuerit;
Quae cum per sex dies durassent, ipse in causam
inquisivisset, expertus est: Patientem sanum &
valentem fuisse; Simul ac vero cuspis cultelli scrip-
torii, de mensa forte delapsi, inciderit in dorsum
pedis, ingentem statim dolorem ibi fuisse excita-
tum, & ab eo tempore graviter se laborasse, ipse
con-

confesus est. Clavorum, pedum digitis insidentium improvida resectio haud raro gangraenam perperit, quia cultelli crupis altius adacta tendines laedit. Plura commemorare supersedeo, cum pauca haec sufficere possint.

§. IX.

Symptomata, laesionibus *partium tendinosarum* supervenire solita, pro earundem varietate plus minus atrocia sunt. Si *vulnus punctum* fuerit inflatum tendini, dolor erit longe atrocior, quam si *raesim* fuerit illatum. Maior quoque metus est, ne convulsiones, haud raro lethales, complicentur *puncturis*, quae haud aequae in laesionibus per transversum factis sunt metuenda, nisi ex parte tantum factae fuerint. Praeterea *tumor, inflammatio* una cum metu *corruptionis putredinosa* ex eo symptomatum genere sunt, quae omnem medici attentionem requirunt, quaque, ut tempestive praecoccupentur vel praecaveantur, officium eius expostulat. Haud raro *synovia, febris, deliria* aliaque prava symptomata superveniunt.

§. X.

Horum vero symptomatum *aetiologya* suis ex fundamentis haud difficulter erui potest. *Dolor atrocissimus*, qui *puncturae tendinis*, statim ac laesio ei inducta est, supervenit, vehementissimae tensioni fibrillarum tendinosarum, adhuc quidem integrarum, sed in proximo ruptionis periculo constitutarum tribuenda est. Id quod inde clarissime patet, quod vel vehementi illa fibrillarum tensione per anodyna contemperata vel tendine, ipso laesonis loco, praefecto, omnis statim dolor evanescat.

Ean-

Eandem ob causam, sumimam nempe dolorum in parte admodum sensibili atrocitatem spasti, ad convulsionum vehementiam haud raro adsurgentes complicantur, quibus principium agens periculum corruptionis metuenda immunita avertire quidem conatur, eo ipso tamen scopo suo plerumque excidit. *Febris* supervenit *inflammationi* partis affectae, quae adfluxui humorum lymphatico-serorum, eorundemque congestioni ac restagnatio natales suos debet, ad quam discutiendam ac resolvendam *febris* directa est; Quod nisi tempestive fiat, *inflammatio* transit in *gangraenam* & haec in *sphacelum*: Qualia exempla laesiorum partibus tendinosis illatarum & in gangraenam sphacelumque terminatarum a Practicis coiunctorum leguntur. Eadem *inflammationi*, in corruptionem putredinosam transiturae *deliria* vestigia legunt. Nullum vero *synovia* periculosius est symptoma, quae quidem copiosa in humorum lymphatico-serorum circa partem vulneratam collectione consistit, neutiquam tamen, ut vulgo putatur, a passu lymphae, discisis vasis lymphaticis exstlicantis effluxu ortum suum trahit, verum potius *aditus* ad pulsui talium humorum in acceptis referenda, ut partis affectae sensus, eiusdemque *stimulatio* & *irritatio*, culpa chirurgorum, acria & septica talium partium tendino-nervosarum laesioribus perverse applicantium, inducta demulcentur atque contemperetur.

§. XI.

Diagnosis suis quoq; difficultatibus haud caret. Tales enim *tendinum* laesiones difficulter explorantur, sunt

suntq; illae quandoque ita absconditae, ut nullo, quantumcunque exquisito sensuum ministerio per vestigari se se patientur: Quo casu indicia vel ex conditione partis affectae, vel ex symptomatibus §. praecedenti enumeratis sunt depromenda. Priori intuitu, vel me tacente, facile intelligitur, peritia Anatomica hic opus esse, ad dijudicandum, quot & quales per locum vulneratum tendines dispergantur, quamque decursus sui rationem servent? Hinc optavit praedictae disputationis autor, ut quis, cui tempus & occasio suppetunt, manum operi admoveret, tendinumque talem historiam tradaret, qualis de nervis **WILLISIUS**, **VIEUSSEN**ius aliquis nobis reliquerunt. Alterum vero indicium ex conjunctis symptomatibus, v. g. dolore plus vel minus atroci, *inflammatione*, *febri*, *delirio*, *spasmo*, *tetano*, *convulsionibus*, *motus voluntarii* totali vel partiali abolitione &c. desumendum est; Quae si vel omnia vel saltem pleraque ad sint, & aegrotantem exquisitissime excrucient, nullum dubium est, punctum laesum esse tendinem; Ubi contra in transversali vulneratione omnia symptomata mitiora ac benigniora esse solent. An vero *coeca* an potius *aperta* sit *punctura*, longe difficilius dignoscitur, ob profundum tendinum situm, nisi forte in artibus tam superioribus quam inferioribus aliquis partibus minus musculosis & exsanguibus contigerint.

§. XII.

Quacunque vero demum ratione laesiones istae tendinibus fuerint inflictae, omnes sua natura sunt periculosae, ob summam non tantum harum parti-

C

tium

tiūm sensibilitatem, sed & symptomatum, compli-
cari solitorum grauitatem. Est tamen una p̄ae al-
tera securior. Sic minus semper periculi alit *trans-
versalis* tendinum *incisio* p̄ae eorundem *punctura*,
quae, nisi perite tractetur, ut plurimum funestum
habere solet exitum. Sic etiam tendo secundum
longitudinem incisus minori semper periculo stipa-
tus est, quam si oblique inducta fuerit laesio, eamque
ob caussam facilius quoque consolidatur. Satiū
quoque est, per transversum secari rotum quam par-
tem; Quia posteriori casu vehementer sequuntur
convulsiones, exquisitissime dolorificus sensus &c.
posteriori non item: Unde etiam in transversali-
bus tendinum sectionibus, ex parte tantum factis,
artificiale totalem dissectionem haud citra solidam
rationem medici suadent, sicuti paullo inferius a no-
bis indicabitur. Falluntur aitem, imo toto potius
coelo errant, qui *tendinum* vulnerationes non aequē
atroces, ac *nervorum* laesiones facere consueverunt,
gignere dolores, temere sibi persuadent. Proinde
iterum a JOHANNE van HORNE noratur BOTALL-
LUS, qui tendinem quoquo modo violatum minus
noxae minusque pericli sibi conjunctum habere
contendit, eumque in finem ad AQUARENDE-
NIS pentate Ichum chirurgicum ablegatur, qui quip-
pe aliter BOTALLUM sit edocatur; Interim er-
ror hic practicus non aliunde, quam ex theoretico
illo natales suos derivavit, postquam GALENI tra-
ditioni coeca fides est adhibita, ex nervo nempe
atque ligamento tendinem compositum esse; Id
quod tamen aliter sese habere, saepius allegata di-
putatione de *tendinis structura & usu*, est ostensum.

§. XIII.

Quam primum itaque ex lignis antea adlati,
potissimum vero exquisitissimis ac ferme intolera-
bilis doloribus, partis laesae intumescentia & in-
flammatione, tendinem compunctum esse, animad-
vertit & medicus & chirurgus, omnem statim o-
peram impendere uterque debet, ut quantocuyus
dolores leniantur atque complacentur; Id quod
fomentis calidis, ex floribus chamomillae, meli-
lori, sambuci aliisque talibus ut & balsamicis, myr-
ra, olbanio, mastiche & similibus paratis omnium
optime praestatur. Si convulsiones metuantur,
vel jam adsint, interne nitroa cum cinnabarinis,
praecipitantibus ac digestivis convenientiunt. A ni-
mium acribus vero ac stimulantibus sollicite est
abstinendum, quia partis affectae, per se jam satis
sensibilis, sensibilitatem tantum augent.

§. XIV.

Quod si vero, omni licet industria adhibita,
nec dolores consopiri, nec spasmi atque convulsi-
ones, quae ut plurimum puncturis tendinum super-
venire solent, praecoccupari sese patiantur: Nul-
lum melius, nullum praesentius consilium est atque
remedium, quam tendinem compunctum per trans-
versum dissecare: Quo facto omnes statim dolores,
quanta etiam vehementia aegrum excruciauerint,
mitigabuntur spasmorumque atque convulsionum
metus mox evanescet. Nec juvat objecisse, motum
partis laesae voluntarium hoc modo peritulum:
Satius enim est, motum membra cuiusdam parti-

IVX 2

C 2

cularis

cularis amittere, quam aegrotantem certissimo vi-
tae periculo exponere.

§. XV.

Nec tamen hoc modo spes omnis decollavit,
fore, ut motum membrai arbitrarium recuperet,
qui, propter tendinem transversim dissectum, in
metu versatur, ne eundem amittat: Fidem enim
nobis faciunt chirurgorum artis sua peritorum
observationes, quod cum desideratissimo successu
& eventu futuram tendinis administraverint. Sic
JOHANNES de MURALTO exemplum quoddam,
quod Miscell. N. C. Dec. II, Ann. III. Observat.
reperitur, de juvne 24. annorum refert, quod,
cum ei noctu sinistra manu vulnerato tendines, di-
gitos moyentes essent resecti, illi a Chirуро Par-
иensi, Dn. BIENAISE feliciter iterum uniti atque
denuo conjuncti fuerint. At vero, ne quicquam
reticeamus, quod nimium forte possibilitati opera-
tionis hujus favere posit, in scholio subjuncto du-
bium non leve movetur, tendines scil. discisis non
acu perfosso si que consut, sed tantum filo circumducto li-
gatos si que artificiis conjunctos esse: Ex qua proinde
observatione non multum roboris peti posse vide-
tur, ad mutuum tendonum praefectorum coalitum
suturae beneficio confirmandum atque corroboran-
dum, cum nulla hic acus in subsidium fuerit
vocata, & consequenter omnis hie spasmorum vel
convulsionum metus, quem communiter praeten-
dunt, qui ab hac operatione animum paullo alie-
niorem habent, penitus evanuerit.

§. XVI

S. XVI.

Consultum igitur ducimus, alias in medium producere historias atque observationes chirurgorum, in arte sua expertorum, qui non sine suo aliorumque stupore vulnera tendinum transversalia suturae ope denuo consolidata viderunt. Ita JOHANNES VESLINGIUS, in *anatome* pariter ac *chirurgia* versatissimus, aliquot recenset exempla tendinum actu discisorum, quorum tamen extrema, etiamsi promptissime statim ob vim, qua gaudent, elasticam summamque tensionem resiliant, suturae adminiculo feliciter ad se invicem adducta, sive tandem juncta atque unita fuere. Quae experimenta hanc ingenuam ipsi extorsere confessionem: *Destabatur, inquit, hominum audaciam, sed felix successus & vix notabile a peracta curatione detrimentum timoris mei vanitatem arguebat.*

S. XVII.

His si nondum convinci sese patiantur, qui ab operationis hujus, quam nimis crudelem esse putant, administratione toto animo sunt alieni, ad eant quoelso atque consulant memoratu dignissimam observationem, quam *Acta Eruditorum Lipsiensia* Ann. M DCC mens. Januar. p. 23. suppeditant de magni tendinis, suram inter & calcem disiecti, interveniente futura, unitione atque curatione, quam coram Regia Societate Londinensi GUILIELMUS COVVERUS, laudatae societatis membrum dignissimum recitavit. Operatio dextre atque feliciter peracta est in fabro lignario 30. annorum, in

C 3

cujus

eujs tibia sinistra magnus gastrocnemiorum musculorum tendo, tres digitos transversos supra os calcis, integer dissectus erat, ita quidem, ut superior tendonis pars ab inferiori duos minimum digitos sejuncta fuerit deprehensa: Quo tamen nihil obstante, operatione is audacter se se adinxit, & integumentis externis prius remotis, extremisque tendonis dissecti denudatis 2. vel 3. magnas acus, serico filo valido probe incerato, immisit & extrema ad se invicem adduxit. Et quamvis de dolore admodum exquisito conquestus esset aeger, imo & quarta ab operatione die *synovia* observata, sexto tamen die spissior evadere materia & substantia quaedam albicans versus superiorem vulneris partem progerminare coepit, & cum vix 30. dies abiissent, obambulavit, licet claudicans, donec tandem omnes pedis motiones perfecte recuperavit.

§. XVIII.

Nec desunt rationes, quae, quod hactenus variis historiis & observationibus *a posteriori* confirmavimus, idem *a priori* clarissime evincunt. Cur enim artificialis tendonum per medium disectorum unio atque conjunctio per futuram obtinenda impossibilis habeatur, cum tendines aequae ac aliae partes suas habeant arterias & venas, quibus nutrimentum ad eos advectum illorum nutritioni impenditur, sicuti ex Ruyshio aliorumque observationibus jam satis confirmavimus. Ad quamcunque vero partem per arterias sanguis & cum illo pars lymphatico-gelatinosa, proxima omnis unionis atque conjunctionis mutuae materia advehitur,

hitur, illam consolidari iterum posse, evidenter consequitur: Id quod in osium fracturis, in cartilaginum, membranarum, ligamentorum aliarumque talium partium laesionibus longe manifestissimum est; Ut de musculo-carnolarum partium vulneratione earumque unione hac vice nihil moneam.

§. XIX.

Dissentientium vero argumenta, si ad examen vocare placeat, tanti illa momenti non esse reprehendentur, ut a sententia nostra dimovere nos possint. AMBROSIUS PARAEUS, in arte chirurgica alioquin peritisimus, ingenuo confitetur: *Sé, licet chirurgi quidam ausi aliquando sint, tendines penitus sectos, extremis admotis, consuere ad unionem, id tentare nunquam fuisse ausum doloris, convulsionis & simillim horrendorum symptomatum metu.* Paria cum illo jam suo tempore sentit GALENUS; Ita enim Libr. III. de compositione sec. gen. loquitur: *Consuenda etiam sunt membranae ipsae cum muscularis, quibus coherent: At tendines, membranarum instar extensos & dilatatos non mediocri periculo consues.* PETRUS de MARCHETTIS observavit, tendines consutos convulsiones subinde lethales post se traxisse. At vero, si propter qualecunque periculum futura tendinis esset omittenda vel reprobanda, simile fatum plurimis aliis chirurgorum operationibus, *berniotomiae, lithotomiae, paracentesi tam thoracis, quam abdominis, & scroti &c. subvenundum foret,* quae certe omnes non mediocri periculo sunt stipatae.

§. XX.

§. XX.

Aequie parum alterum stringit argumentum, quod ex indeole partium *tendinorum* desumptum est; Nititur enim vulgata illa antiquorum distinctione partium in *spermaticas* atque *sanguineas*, quae tamen nullius momenti est, cum satis hodie constet, nullam C. H. partem pure *spermaticam* dari, sed omnes suo modo *sanguineas* esse, nulla alia inter illas differentia intercedente, nisi quod per *has* plus, per *illas* vero minus sanguinis diffundatur. Quod vero per *tendines* aequie ac alias partes *vasa sanguinea* tam *arteriosa* quam *venosa* disseminentur, ipso sensuum testimonio constat, posteaquam RUY SCHIUS cereis suis injectionibus id in homine, auctor vero adnotationum ad historiam de *magni tendinibus transversim dissecti unitione*, quam superius ex *Actis Eruditorum Lipsiensibus* allegavimus, in *tendine tibiae equinae* suis vidit oculis; Unde persuasus fuit, *tendines etiam plane dissectos, aequie ac ossa & alias partes, conglutinari posse.*

§. XXI.

Provocant denique, qui ab administratione futurae *tendinis* penitus abhorrent, ad auctoritatem gravissimorum medicorum & chirurgorum, qui eandem graves ob rationes semper dissuaserint. In acie collocatur ipse HYPOCRATES, qui lib. I. de morbis VII. 21. disertis verbis unionem tendinum praefectorum impossibilem judicavit: *Nervus five tendo* (his enim vocibus promiscue usus est) *praecisus ac dissectus non coalescit*. Hujus vestigia premit FRANCISCUS PECCETTVS oper. chirurgic. lib. II. cap. XLVII. de *vulneribus nervorum*, qui tamen alia

alias asserti sui rationes allegavit, nempe has: *Si, inquit, in nervo (tendine) non inciso sed tantum punto, dolor, inflammatio, convulsio & alia prava symptomata eveniant, at vero nervum compungi necesse sit, si suatur, & ideo dicta accidentia superveniant;* Sequetur pronisime: *Nervum nunquam esse consuendum.* Deinde sic argumentatur idem: *In nervorum (eadem tendinum est ratio) incisionibus, quantum est possibile, dolorem vitare debemus; Sed, si nervi (tendines) suantur, continuus dolor excitabitur, & consequenter etiam alia prava symptomata succident.* E. sui nullo pacto debent.

§. XXII.

Verum, praeterquam quod **HIPPONATI** suo tempore *tendinis sutura* penitus ignota fuisse videatur, & propter periculum, licet eminens coniunctum operatio neutiquam sit omittenda: Praedictis auctoritatibus aliae aequi graves opponi possunt, eorum nempe, qui *suturae tendinum omni modo sunt patrocinati.* Quod **HIPPOCRATEM** attinet, negari quidem nequit, vix possibilem ipsi visam esse nervorum atque tendinum transversim dissectorum mutuam conjunctionem: Etenim sect. VI. aph. 19. sine ulla restrictione adserit: *Nervum dissectum neque augescere neque evalescere;* Idemque cōac. praenot. pag. 573. edit. Linden. & libr. I. de *morb.* VII. circa finem repetit: At vero per se liquet, sermonem illi fuisse de *nervis* sive *tendinibus* sibi relatis, qui quippe ob virtutem, qua pollent, elasticam, praefecti a se mutuo resiliunt, nunquam ad se invicem accessuri, nisi eorundem extrema artifcialiter ad se invicem adducantur. *Si vero*

D

satu-

futurarum artificio tendines uniri posse, cognitum atque perspectum fuisse Divo Seni, aliter sine dubio sensurus fuisse. **GALENVS**, cuius testimonium jam antea adduximus, disertis verbis *futuram tendinis* nullibi disuadet, sed tantum periculo stipatam esse monet; Id quod nemo quidem unquam negavit, at propterea operatio non statim repudianda est. Ex *Arabibus AVICENNA* Fen. L. IV. Tract. 4. Cap. 2. commendat *futuram nervi vel tendinis hisce verbis:* *Si autem nervus (tendo) disrumpatur in latitudine, tunc necessarium est suere ipsum, & si nec, non conglutinatur.* At vero addit *GVIDO de CAVLIACO*, non conglutinatur ob distantiam extremorum. **MARCVS AVRELIVS SEVERINVS** chirurg. efficac part. II. cap. CXXIII. opinioni huic maxime non modo favet, sed & commoda haud exigua inde sibi pollicetur: Unde quaerit: *Jam igitur, quando tot commoditates exhibet sutura, neque aliquid vetat, quo minus adimpleatur, quid est, quod administrari atque exerceri desit ipsa?* Neque ab hac sententia alienus est **FELIX WURTZIUS**, qui cum propria tum aliena experientia adseverat, tendines transversum sectos futurae adminiculo cōalescere & consolidari. Pluribus in re manifesta testimoniosis non est opus.

§. XXIII.

Si ergo pratico talis occurrat casus, ubi tendo per transversum penitus est dissectus, ita quidem, ut ambo ejus extrema fortiter resiliverint, solerter prius expendendum illi est, quam operationi se se accingat, quae & qualia symptomata tali continuitatis laesioni complicata sint? Et an praesentia anodynisi solis complacari vel imminentia & futura solius

folius medicinae ope praecavari vel praecaveri queant? Quod si nulla rationalis spes adfulgeat, posse scopos hosce obtineri, non diu cunctandum, sed mox, praeparato tamen prius corpore, operatio est suscipienda. Praeparatio vero isti in eo tantum consistit, ut, si cum corpore plethorico res fuerit, V. S. instituantur; Si vero corpus cachexia vel cacochymia laboraverit, uno vel altero purgante, non valde tamen stimulante, a sordibus suis liberetur. Est enim praecedaneae hujus praeparationis magnus ac multiplex in reliquo curationis successu usus; Cum hoc modo partis vulneratae tumor, adfluxus humorum, inflammatio, aliaeque symptomata vel praecavari vel omnino averruncari possint.

§. XXIV.

Postquam itaque toti corpori universalibus tabilibus remediis fuerit prospectum, nihil est, quod morari amplius posit operatorem, quo minus futurae adornandae sece adcingat. Cum vero *puncturae tendinum* utplurimum valde angustum habeant introitum; Hinc secundum *Galenii* confitum, orae earundem sunt dilatandae, duabus nempe sectionibus ad angulos rectos factis, sicque orificium dividere & aperire oportet, partim ut topicorum vires ad interiora melius penetrare, partim, ut ichor ibidem forte collectus ac saepe delitescens exitu suo potiri commodius possit, partim denique, ut, his omnibus nihil proficiuntibus, imo pravis potius symptomatis sece conjungentibus, *tendo punctus per medium ipsum puncturam loco dissecetur*.

D 2

sicque

sicque operationem ipsam heroico quidem animo,
attamen sine temeritate, adgredi valeat.

§. XXV.

Non unam vero eandemque operandi rationem sequuntur chirurgi, in futura tendinis administranda, sed alii hac, alii alia methodo procedunt. Primus modus est: Si acus filo incerato instructa ab extra ad intra in alterutra extremitatum tendinosarum, in altera vero ab interiore versus exteriorem partem transmittatur, unico deinde nodo ambo tendinis discissi extrema modeste constringendo, & spleniolum (*compressam barbare operatores vocant*) superimponendo: Ita enim *tendinum extrema*, ad se mutuo adducta, beneficio succi lymphatici, per arterias una cum sanguine adlati, tandem coibunt atque cōalescent. Dixi vero notanter, *tendinum extrema modeste* adducenda esse: Metuendum enim haud injuria est, ne strictius unita nimium abbreyientur, sicque motus membra voluntarius laedatur. Id quod ut impediatur, membrum sub ipso vulneris cōalitu quotidie leviter agitetur, imo &, quod prudens **FELICIS WÜRTZII** consilium est, paullo diutius apertum detineatur vulnus: Ita enim malum istud neutiquam metuendum esse adseverat.

§. XXVI.

Alter modus unico tantum filo instituitur, quod una cum acu trajicitur per rēscissas tendinum extremitates, atque ita constringitur, ut extremprius ad se mutuo accendant. Notandum tamen,

men-

membrum prius ad *tendinis tractum esse incurvandum*: Alias enim extrema ejus difficulter deteguntur. Imo nonnunquam chirurgo ea incumbit necessitas, ut non levem facere cogatur incisionem, ad indagandam hac ratione *tendinis extremitatem*, quarum una semper musculo firmiter adhaeret imo eidem continua est, & plerumque fortiter resilit, altera vero ipsi osfi est implantata.

§. XXVII.

Hisce duabus operandi rationibus tertiam nonnulli addant, methodum nempe Dn. BIEN AISE, chirurgi cuiusdam PARISIENSIS, quem nonnulli etiam inventorem ejus dicunt atque praedicant, quaeque sequentem in modum administratur: Trajiciantur nempe duae acus filo eodem incerato instructae simul a parte exteriore versus interiorem utrinque in lateribus extremitatum tendinosarum, & postmodum a parte interiore versus exteriorem viam istam repeatant, muniantur deinde exiguo splenio, & extremitatibus sufficienter quidem, atamen modeste adductis, nodo constringantur. Ita enim pariter successu temporis *naturae microcosmiae* vi ac potestate extrema consolidabuntur; Neque tamen vel organi abbreviationem vel motus laesionem post se relinquunt.

§. XXVIII.

Alii, quos inter nomen suum profitetur Dn. VERDVC, cuius vestigia etiam Dn. VAUGVION premit, praetendunt, alteram praefecti tendinis extremitatem super alteram esse adducendam, spe-

D 3

rantes

Fantes, se hoc modo *tendinis* resecti unionem certius atque felicius esse obtenturos; Admodum vero metuo, ne hi spe sua penitus excidant & frustren-
tur: Quandoquidem fibrillulae noviter genitae extremitatibus ad se invicem adductis longe certius sese mutuo adprehendent & firmius sibi successu temporis implicabuntur tandemque cōalescent, quam si extrematum altera alteri superimposita fuerit. Non tamen omnino negaverim, hunc unionis mutuae modum penitus impossibilem vel in praxi inauditum esse, cum exempla *fraterarum* prostant, ubi, neglecta atificiosa fracti ossis coaptatione, unum alteri tantum superimpositum, ad mutuum tamen cōalitum deductum est. Qua vero agendi methodo usus fuerit laudatus *Cov-
PERVS*, in *Actis eruditorum Lipsiensibus* citato loco le-
gi potest. Qui caeteroquin de modo adornandi futuram *tendinis* plura legere cupit, is *JOSEPHI
de la CHARRIERE operations de chirurgie* chapitr. IV. *de la future du tendon*, itemque *GARENGBOT* traité des operations de chirurgie Chapitr. XLIV. de l'operation de la future du tendon, nec non *ANTONII NUCKII* observations chirurgicas consu-
lere potest.

§. XXIX.

Peracta operatione, cuius altera p̄ae altera methodus, pro casuum occurrentium diversitate, adcommodatior erit, scopum medentis eo directum esse oportet, ut atroces & vix tolerandi dolores, in sutura tamen *tendinis* haud quaquam vitandi, demulceantur, adfluxus humorum, quantum pos-
sibile,

fibile, praecaveatur, eorundemque, qui jam ad fluxere, evacuatio promoveatur, ne corruptionem, quod alioquin promptissimum est fieri, *tendini* intentent. *Dolorum*, ab hac operatione alioquin inseparabilium lenimen procurant *anodyna*, ex flor. chamom. melil. & sambuci, additis sem. anisi, foeniculi, paranda & fatus forma calide admovenda. Quod si *tumor* & *inflammatio* parti affectae conjungantur, ex mica panis albi, farina hordei vel seminibus altheae, herb. scordii, ruta & summitat. absinthii nec non flor. chamomill. anethi & sambuci in lacte dulci coctis, addito croci orientalis & camphorae momento, cataplasma parari similiterque calide per intervalla adiplicari potest. Quod si etiam multa humorum acrum atque malignorum colluvies, unde corruptio putredinosa tendinibus vulneratis imminet, circa partem affectam animadvertisatur, tunc, ut aditum sufficientem sibi paret chirurgus, cutim incidere, &, quantum necesse, eandem aperire debet, ut non modo saniosa colluvies libere educi sed & medicamenta, putredini efficaciter resistentia, ad affectam partem immediate penetrare valeant: Eaque balsamica & oleosa admodum penetrantia esse oportet, qualia sunt balsam. peruvianum, de copayva, gumm. caranae, tacamahacae, elemi, in primis vero terebinthina eiusque oleum, nec non oleum succini aliaque plura. **FALLOPIVS**, auctoritate **GALENI** suffultus, in puncturis tendinum, eodem modo in eorundem futuris commendat euphorbium, & quidem recentius prae vetusto, quod quippe adfluxum humorum acrum praecupandi putredinemque arcendi, ob vim

vim suam disjicientem ac dissipantem, efficacia pollere dicitur. Caeteroquin vulnus tamdiu apertum fervandum, nec ad consolidationem prius deducendum est, quam eodem plenisime repurgato atque a sordibus suis, quibus scatet, liberato, omnibus quoque symptomatibus a suo vigore vel remittentibus vel omnino cessantibus, ac potissimum spe non vana adfulgente, fore, ut ad optatum consolidationis statum omnia tandem deducantur.

S. XXX.

Synovia, quae vix aliis quam exanguibus, nervosis, ligamentosis ac potissimum tendinosis partibus oblique vel transversim vulneratis, in & circa articulationes supervenit, & imperitiae chirurgorum, remedia nimium acria ac vehementer stimulantia in usum vocantium plerumque in acceptis referenda, tanto maiorem medici atque chirurgi attentionem meretur, quo certius verum suppuratorium effectum, sine quo nulla laesioris talis repurgatio, nulla consolidatio mutua speranda est, certissime frustratur. Quapropter omne studium impendendum est, ut lymphatico-ferosa acris, quae causticam subinde indolem adquirit, materia corrigatur, atque contemperetur, adfluxus ejusdem uberior impediatur, potissimum vero corruptio putredinosa, ad quam partes tales sua natura inclinant, praecaveatur. Qui scopi omnes balsamicis temperatis, qualia sunt balsamum peruvianum, de copayva, esl. myrrhae, succini &c. parti affectae immediate adPLICANDIS, omnium optime obtinebuntur. Exterius vero facculi, ex herbis nervinis atque

§§ (33) §§

que robortibus constantes, inque vino rubello decocti, tam calide, ac ferre potest aeger, imponendi sunt.

§. XXXI.

Quod si tendo; continui solutionem five punctim sive caesim passus, simul denudatus aérique externo expositus fuerit, solertissime cavendum est, ne ab eo alteretur laedaturque. Talem vero corruptionem ab allapsu aëris metuendam efficaciter praecavet calx viva, vrosar. optime lota, nec non myrrha, olibanum, aliaque talia, imprimis vero mixtura balsamica STAHLII, quae ex esf. myrrhae & succini, additis aliquot guttulis ol. deft. terebinthinae constat, desideratum praestabit effectum.

§. XXXII.

Denique cautelas aliquot practico-clinicas hic adhuc observasse juvabit. HIPPOCRATES sect. V. Aph. i8. frigidum omne nervis & sic etiam tendinibus inimicum & adversum esse docet, & aph. sequenti addit, convulsiones illud, spasmos ac tetanos, nec non denigrationes & rigores febriles causari. Similiter humectantia aquosa itidemque repellentia tendonum laesionibus admodum contraria sunt: Pingua vero, oleosa, per coctionem parata, nec non unguenta ac linimenta inflammationem jam praesentem certissime augent, nondum vero praesentem provocant, eamque ad putredinosam corruptionem tandem deducunt.

§. XXXIII.

Misfit tendonum laesionibus, punctim vel caesim
E infictis,

inflictis, ad eorundem *ruptionem* nunc progredendum est. Nullus equidem dubito, fore quam plurimos, qui serio dubitabunt, an possibile sit, tendinem, extremis suis non modo partibus aliis firmiter adnexum, sed & in G.H. vivo atque sano undique flexilem, mobilem atque violentiae undecunque illatae cedentem, rumpi per medium posse: Ambigere vero cessabunt, si ab auctoribus fide dignis exempla talium *disruptionum* in medium producta observaverint, de quibus cum sana ratione dubitare haud licet. Quid si ipse tendo ACHILLIS, qui omnium reliquorum fortius C. H. validissimus est, & cui HIPPOCRATES chordae magnae nomen tribuit, quique in cartilagineam imo osseam quandoque indolem convertitur, ut laniones ex eo communiter pecora macrata suspendere soleant, quid si, inquam, fortissimus hic tendo subinde rumperetur? Id quod factum esse, mox probabitur; Cur quaequo dubitaremus, tendines eo longe minores ac debiliores rumpi interdum posse? Nascitur nempe fortissimus hic tendo a validissimis simul atque vastissimis musculis, *gastrocnemis* nempe & *solaeo* infra suram combinatis tandemque postremae ossis calcis parti ira implantatis, ut non solum pedem fortiter extendant, quo firmius tutiusque terrae innitatur, sed & ut tota corporis moles in erecto atque perpendiculari situ conservetur. Quanta igitur vis quantumvis robur inesse eidem debeat, ex eo haud difficulter aestimabitur. Et nihilosecius *rupturae* expositum esse eundem, exempla jamjam in medium producenda evidenter nos edocebunt.

XXXIV.

Primum exemplum, quod p^ra^e reliquis atten-
di meretur, muruari mihi liceat ex JOHANNIS
ADAMI KULMI, Med. D. ac in illustri *Gymnasio*
Gedanensi PP. disputatione Anatomica eum in finem
conscripta, de tendine nempe ACHILLIS, quam
ille sola muscularum fortissimorum potentia *d*is*ruptum* esse credit. Res sequentem in modum sese
„habuit: Architecturae navalis magister, natione
„Anglus, aetatis suae 56. annorum, temperamenti
„sanguineo-cholerici, corpore robustus & quodam-
„modo obesus, quique, quod in hoc vitae genere
„notatu merito dignum, nunquam antehac aegro-
„taverat, An. 1726 d. 13. Maii navi ex Anglia Ge-
„danum delatus, dum ex navi in litus profilire
„studuit, minorem, quam distantia littoris a sca-
„pha exigebat, conatum impedit, ita ut extremi
„duntaxat digiti pedis sinistri in afferem ideo ap-
„positum figerentur, adeoque ille vix centrum gra-
„vitatis corporis sustinens metueret, ne in aquam
„retorsum praecipitaretur; Sub quo infauisti-
„fimo saltu calx a pondere totius corporis premen-
„te velocissime depresso CHORDAM ACHILLIS
„illius pedis plane abripuit, citra ullam tamen ex-
„terius observatam laesionem: Unde postmodum
„miser pedem mox inrumescerem parum pro-
„movere valens, ad diversorium, ultra 300. passus
„remotum, simul tamen sub gressu huic pedi in-
„nixus, ab aliis hominibus deductus est.

Chirurgus in consilium adhibitus, cum tactu

nec luxationem nec fracturam detegere posset, ex quadam fovea, paulo supra calcem profunde depressa cuteque flaccida *tendinis Achillei* rupturam auguratus est, omnemque proinde movit lapidem, ut *tendinis disrupti extrema*, quae, statim ac *disruptio facta* est, promptissime resilire solent, mediantibus fasciis uniret ac denuo conjungeret: Ob immorigeram vero patientis indolem & vitam, quam agebat, luxuriosam, gravis inflammatio cum febri acuta die 18. superveniente, & liquoris gelatinoso-lymphatici in ipso *tendinis disrupti* loco stagnatione facta, ossibus tarsi cariem, mollieribus vero circumiacentibus partibus gangraenam tandemque sphacelum induxit. Et quanquam in amputatione cruris spes salutis & conservationis aegri reponeretur, imo actu illa susciperetur; In irritum tamen reciderunt omnia, & patients undecimo post amputationem die, superveniente, ut fieri adsolet, sphacelo universalis ad plures abiit. Resecto deinde pede curatius examinato, non solum pars *tendinis calcis* adnexa & ab aliis ei vicinis *tendinis* plane distincta fuit observata, sed & tibiae ac fibulae inferiores extremitates, in primis vero eorundem condyli carie leviter correpti, & ossa tarsi, potissimum vero astragalus, cariosa, exesa & friabilita deprehensa & conspecta fuere, sicuti has aliasque memoratu dignas circumstantias in superius allegata disputatione pluribus legi licet. Conferri potest, si placet, JOHANNIS LUDOVICI PETITI tractatus de morbis ossium, in quo plures *disruptionis* hujus historias adfert, quae ejusdem possibilitematis superque evincunt.

XXXVI.

§. XXXVI.

Colligi ergo hinc non modo' potest *tendinis* hu-
jus *Achillei rupturae* possibilitas, sed & a majori ad
minus valebit utique argumentatio: Si dictus ten-
do, quo crassior & validior in toto corpore non
datur, rupturae resistere nequit; Quanto minus
tendines, crasitie ac robore illi longe inferiores
eidem reluctabuntur. Quae omnia licet recte, ut
putamus, sese habeant, non levis tamen ex eo nas-
citur difficultas, qui fieri potuerit, ut praedicto
modo gravissime laesus aeger, & *Achilles* tendine
transversim perrupto, ultra 300. passus, alienis li-
cet brachiis suffultus, pedi laeso insistere suumque
diversorum repete re valuerit? Cum doceant Ana-
tomici, huic tendini totam corporis molem inniti
eidemque in acceptis referendum esse, ut in erecto
atque perpendiculari situ conservari queat. Verum
neutquam intactam reliquit hanc difficultatem
praedictae *disputationis* Clar. Autor; sed ejusdem
solidam & hanc quidem reddidit rationem, quae
etiam structurae partium illarum admodum con-
formis est: Quod actio haec a musculis *tibiaeo postico*
& *peronaeo postico*, conjunctim actiones suas praefstan-
tibus, perficiatur; Quoniam hi utrinque malleolo-
rum eminentias, *trochlearum more*, ambientes ad
tarci partem anteriorem excurrant, quorum ille osse
naviculari, hi vero ossi metatarsi implantentur, at-
que sic circa malleolorum eminentias tanquam per
trochleas du&ti, infimum pedem fatis valide deor-
sum pretendere valeant.

Aliud circa *rupturam tendinum* supereft enodandum dubium, idque in eo consistit, quod ad eam inducendam non semper extraordinaria vi atque violentia opus sit, sed quod mediocris subinde sufficiat ad tendinem disrumpendum. Id quod ut eo facilius fidem inveniat, legas velim DOMINICI PANAROLI jatrologismor. Pentecost. III. Obs. XXXI. p. 88. in qua casum talem de nobili quodam communicavit, cui ob lapsum, non tamen adeo magnum, insignis tendo quatuor musculorum, videlicet *vasi* tam *externi* quam *interni*, *recti* & *curaei* disruptus est. Fortissimum esse hunc tendinem, norunt Anatomici; Procedit enim a praediis 4. musculis in unum cœuntibus, & rotulae insertus est, qui tamen, non obstante robore & crastifie sua, cum is ambulans pede laberetur, obruncatus est. Patiens quidem, quod mirandum evasit, tendo tamen nunquam cœaluit, sed tota vita claudicare cœactus est. Similes propemodum, &c, ut non circa rationem existimat Auctor, observationes subministravit FRID. RYVYSCHIVS Adv. Anat. Decad. II. p. 5. Vocatum se esse, enarrat ibidem, ad homines, qui caligas suas arcto nimis vinculo supra genu constrinxerant, ita ut velox harum partium motus impediretur; His per plateam deambulantibus contingit, ut cespitarent: Unde flexu genu, humi quidem prolapsi essent, sine omni tamen allisione patellae aut tendinum, qui tamen, crastifie & validitate eorum non obstante, sub subitaneo hoc flexu disrupti essent. Ac, ne quis forte existimet,

vio-

violentiam tantum muscularum ac tendinum, tibiam extendentium, distensionem, non rupturam fuisse, praelaudatus Ryvyschivs non inde modo illud probat, puob inter hiatus horum tendinum abruptorum digitum adulti interponi licuerit, sed & ipsi tales infelices homines nec surgere nec se erigere potuerint, imo absque aliorum ipsoſ fulcientium ad miniculopedibus insistere nequiverint; Unde tandem toto reliquo vitae sua decursu baculo inter ambulandum corpus suffulcire atque sustinere coacti atque impulsi fuere.

§. XXXVIII.

Ita vero si cum *ruptura tendinum* comparatum sit eandemque privatio motus earum partium, ad quas spectant, absolute consequatur, nullum aliud superest consilium, quam ut binae disrupti tendinis extremitates ad se mutuo tenaculorum vel vinculorum ope adductae, more tendinum per medium discisorum, beneficio futurae consuantur, siveque naturae occasio suppeditetur, consolidationis mutuae negotiorum denuo suscipiendi. Fatemur quidem ingenue, paullo difficilius successuram esse unionem *rupturarum*; Eo quod fibrarum inaequaliter disruptarum villi prius in pus converti seu maturari debeant, quam se mutuo apprehendere siveque conjungi iterum possint. Esto autem, segnius paullo negotiorum hoc procedere; Dummmodo ad felicem tandem finem perducatur, & medicum & aegrotantem contentum esse oportet.

§. XXXIX.

Progedimur ad *abruptionem tendinum*, quam dupli-

dupli modo factam esse, chirurgorum observationibus constat; Aut enim tendo ab osse, cui firmissime adnexus est, *abrumptur*, aut pars ossis cum eodem avellitur: Cujus posterioris casus exemplum iterum sua ex praxi benevole suppeditavit mihi Clar. DD. PRAESES. Nobilis quidam, artis venandi uti peritisimus, ita amantisimus, 30. & aliquot annorum, temperamenti cholericomelancholici, castra antehac fecutus & tormentorum bellicorum fragore surdaster factus, cum quibusdam domesticorum in proximam sylvam venaturus exspatiatur; Hos inter servus quidam ad furcam fimetariam, quam sclopetum dirigendum aptior, herum suum, sclopeto, granis plumbeis onerato, & versus terram directo, presso pede sequitur. Allidens forte ad arboris vel fruticis ramuscum sclopetum ex improviso exploditur, infelici iectu in posticam imamque pedis partem omnem suam vim exerente: Sequitur statim post illatum iectum enormous haemorrhagia, quam tamen partim linteaminibus discerpiris, partim musco qualitercumque compescere sunt adnisi. Tristissimum omnium fuit, quod ultra 3000. pasus pedes ire domumque reverti coactus fuerit; Id quod tamen, doloribus intensissimis non obstantibus, partim humeris aliorum partim baculo suffultus, praestitit. Cum inter ejulatus enormes vulnus examinaret chirurgus, tendinem Achillis una cum parte calcanei a reliquo ejus corpore violenter *abruptum*, variaque fragmenta majora minoraque tam a fibula quam tibia abscessisse deprehendit, quae tamen, ut hac vice eximerentur, nec tutum nec consultum erat,

ne

ne dolores praeter necessitatem intenderentur; pars vero calcis, cui *chorda Achillis* adhaerescebat, cum jam nigresceret, ipsa vero *chorda* livesceret, sicque nulla adfulgeret spes, conservari corruptas tales partes posse, tempestive rescidit, ut reliquum conservaretur; Grandines interea successive eximabantur omnisque opera impendebatur, ut gangraena, quae ter interitum comminabatur aegro, striis rubicundis jam ad inguina sese extendentibus, praecaveretur; Id quod tamen *externe* fomentis calidis, ex lithargyr. aur. bolo utroque, cerusfa, myrrh. oliban. mastich. aliisque talibus in vino rubello decoctis; *Interne* vero *alexipharmacis* blandis & diaphoreticis fixis efficaciter praepeditum fuit. Ad putredinosam corruptionem praeoccupandam liquor balsamicus *Stahlii*, ex ess. myrrhae, suc- cini &c. constans egregium praestitit praesidium, ut, praeter omnem expectationem, spatio aliquot mensium patiens fuerit in integum restitutus, qui insuper motum pedis satis liberum recuperavit, eo solum excepto, quod, ob *tendinem Achillis* rescisum calci insistere perpendiculariter non possit,

§. XXXX.

Praeter disruptionem & abruptiōnem alia adhuc in praxi medico-chirurgica occurrit *tendinum laesio*, nempe eorundem *contusio*, quam haud raro instrumenta lignea vel ferrea *contundendo* agentia inducunt. Estque vel cum partium superimpositarum *contusione* & hinc secuta eorundem *fugillatione* con juncta, vel quandoque soli tantum *tendines sunt contusi*, reliquis integris & illaesisis. Cumque partes

F

tales

tales contusione laborantes maxime sint proclives ad corruptionem intimam, nempe putredinosam subundam: Hinc omni studio praecavendum, ne propensio ista atque proclivitas in actum deducatur. Subserviunt vero obrinendo huic scopo fomenta calida, ex herb. rut. anethi, fl. ros. rubr. sambuc. addito pulvere irid. flor. farin. fabar. nec non myrrh. oliban. mastiche aliisque talibus, vino rubello incoquendis.


S, XXXI.

Denique distortionem patiuntur quandoque tendines; Unde non motus tantum voluntarii laesio-
nem incurront, sed &, si praepostere tractetur,
tendo distortionem passus, occalescit vel duritiem
scirrhosam post se relinquit. Ejusmodi indurationis
scirrhosae tendonum aequa ac ligamentorum mentio-
nem fecit GALENUS lib. XIV. de meth. medendi,
commendatque incidentia emollientibus permi-
scend., eoque nomine potissimum acetum, ea
tamen cum cautela, ut curatio talis vitio potius
adulto, quam recenti adcommodetur, & quum jam
praeparata sub emollientium usu pars adfecta fue-
rit. Provide tamen addit idem, medicamentis,
quaes ex acero componuntur, nec saepe, nec inter ini-
tia, nec longo tempore utendum esse. Modum vero, quo
acerum in usum vocandum sit, ipse talem tradidit
ipseque in praxi sua observavit: Nempe pyritem
vel lapidem molarem, sed carentem in aceto quam
ac errimo extinguit, dein scirrhosum tendonem
exponit, ut calentem vaporem excipiat in eoque
dimoveatur. Postea vero medicamen, quod emol-
liat,

liat, interponit, & oleo quodam tenui a principio
curationis particulam laborantem perfundit.

Ast pedem hic figo, memor legis, quae, ut
justi disputationibus publicis limites constituantur,
injungit. DEO vero immortali pro praefrito
mihi auxilio sit laus, honor & gloria in
sempiternum!

F I N I S.



• 33 (4) 129

• *... die geboren, wo der dritte ist, ist ein
censurierter, der nicht in der Kirche ist, ist ein*

• *... ist geboren, die Kirche, meint Gott, das ist
der dritte ist, der nicht in der Kirche ist, ist ein
censurierter, der nicht in der Kirche ist, ist ein*

E I N I S



ULB Halle
007 662 939



3

WIP



Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Centimetres	2.54	5.08	7.62	10.16	12.70	15.24	17.78	20.32	22.86	25.40	27.94	30.48	33.02	35.56	38.10	40.64	43.18	45.72	48.26

Farbkarte #13



B.I.G.

1734, 16. + 2
ICO-CHIRURGICA
URALIS

INUM

TIBUS,

AM
TE DEO,

LTATIS MEDICAE
NSU,

SIDIO

OTTOMARI

CKE,

JBL. NEC NON PHYSIC.
C. MED. H. T. DECAN.

SUI MULTUM COLENDI,
O MAIORI

ANN. MDCC XXXIV.
CONSVETIS

CTORALI

NEXIS HONORIBUS,
ILEGIIS LEGITIME
NDIS

RUM EXAMINI
ET

ORUS MÜLLERUS,
USATUS

ADRUM,
GABRIEL ALEX.